

nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem, » damnavit « ut falsam, temerariam, communi praxi Ecclesiae iniuriosam, inducentem in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum ». Inter propositiones scilicet Petri Oxomensis proscriptas a Sixto IV. quinta sic habet: « Non sunt absolventi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta ».

Sane 1^o rerum naturae non postulant hunc ordinem servari, ut prius satisfactio (alia a contritione et confessione) vel tota vel partialis praevertat absolutionem. Nam *a*) David statim ac ingemuit suumque peccatum Deo est confessus, veniam est consecutus, daturus poenas postea: *b*) ipseque Deus generatim testatur se remittere culpam peccatori statim ac ingemuerit, seu quocumque die conversus fuerit ab iniquitate sua. Ezech. XXXIII. 12.

Et re quidem vera vel est ante remissionem culpae integra exhibenda satisfactio in vindictam criminum, vel solum partialis. Si primum contendis, dicis aliquid quoad praxim impossibile: quis enim novit quantum debeat Deo? si alterum dicis: cum concedas aliquam satisfactionem exhiberi posse post absolutionem, eo ipso concedis non esse ex natura rei ut satisfactio praecedat absolutionem. Aliquam tamen requiri dicis et huius rei alia nequit esse ratio nisi ut aliqua compensatio Deo offenso exhibeatur; verum haec aliqua compensatio sufficienter exhibetur per contritionem et confessionem, quibus et vera conversio eiusdemque probatio continetur.

2^o. Praxis a tot seculis frequentata (ipsis adversariis fatentibus) in Ecclesia et ab Ecclesia probata ac defensa, oportet ut sit conformis institutioni Christi: agitur enim de administratione Sacramenti, in qua quoad essentialia nequit Ecclesia non sequi voluntatem institutoris.

Imo haec fuit semper ordinaria praxis Ecclesiae; quod enim ex conficta historia veteris Poenitentiae supponunt adversarii, olim per plures annos dilatam fuisse absolutionem sacramentalem saltem publice poenitentibus, eamque datam tantum in fine exactae Poenitentiae, id perperam affirmari ostendemus in seq. App. §. II.

Ceterum 3^o doctrina Ecclesiae semper est eadem. Docuit autem Tridentina Synodus iustificatis ordinarie superesse poenas luendas et ideo obligationem satisfactionis, ideoque posse hominem iustificari quin totum debitum poenae ei remittatur; id ergo tenuit et docuit ab initio Ecclesia: atqui cum hoc dogmate non cohaeret exigere ut poenae debitum solvatur antequam quis iustificetur: ergo.

APPENDIX DE INDULGENTIIS

Cum indulgentiae modus sint quidam, quo satisfactio Deo offertur pro extinctione debiti poenae; etsi locum habeant extra Sacramentum, opportune tamen de iisdem agitur a theologis post Sacramentum Poenitentiae, ut complectens hoc pacto tractatio omnia, quae ad remissionem pertinent peccatorum, completa censi possit. Volentes huic muneri, breviter quidem Appendicis instar, facere satis, proponemus primum conceptum Indulgentiae theologis universim communem; de iis enim indulgentiis disputamus, quas generatim doctores et fideles concipiunt, quaeque usu continuo Ecclesiae frequentantur: deinde earundem antiquam praxim investigabimus. Tum afferenda erit demonstratio potestatis existentis in Ecclesia easdem impertiendi et simul ostendendum cui haec potestas competat et quibus conditionibus exercitium ipsius potestatis sit obstrictum. Succedet deinceps quaestio de Indulgentiis pro defunctis, ac tandem de formulis concessionum indulgentiarum.

§. I.

Conceptus Indulgentiae.

I. Indulgentia, quae subiective accepta est facilitas animi seu lenitas, ea obiective seu effective sumpta, est gratia quaedam gratuita, venia, remissio (cf. Forcellini ad h. v.). Theologi ipseque Ecclesiae loquendi usus nomen indulgentiae accipiunt effective, eoque significatur quaedam remissio, quae poenitentibus per Ecclesiae auctoritatem datur. Notio indulgentiae, quae a tot seculis in Ecclesia frequentatur, eruenda est (ut bene monet cl. H. Hurter in Theologiae dogmaticae Compendio edit. 2. Tract. IX. c. 6. n. 576) ex authenticis Ecclesiae monumentis et decretis, quibus addere certe licet doctrinas communiter receptas scholasticorum.

Itaque si vel levem analysim instituis indulgentiarum, quae a pluribus seculis in Ecclesia conceduntur, haec apparent elementa: *a*) remissio poenae temporalis debitae Deo, *b*) quae extra Sacramentum datur, *c*) ex thesauro satisfactionum Christi ac sanctorum, qui in Ecclesia esse dicitur, *d*) auctoritas concedentis, *e*) causa aliqua pia, propter quam indulgentiae conceduntur, *f*) subiectum capax eiusdem indulgentiae. Haec omnia complexus est Clemens VI in decretali extrav. *Unigenitus de Poenitentiis et remissionibus*. « Iesus Christus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset,

sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse... Exinde ut ne supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, *thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater...* Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed *per b. Petrum caeli clavigerum eiusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis ac rationabilibus causis nunc pro totali nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum.* Ad cuius quidem thesauri cumulum *b. Dei genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur*, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum tam propter infinita Christi, ut praedictum est, merita, quam pro eo quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum ».

Et Leo X in litteris datis ad Cardinalem Caietanum, legatum a se in Germaniam pro causa Lutheri, docet primum Romanam Ecclesiam ceterarum magistram tradidisse quod Rom. Pontifex Vicarius Christi et Petri clavigeri successor valeat potestate clavium tollere impedimenta, quae prohibent ingressum in regnum caelorum, culpam nempe et poenam, et culpam quidem Sacramento Poenitentiae, poenam vero mediante ecclesiastica indulgentia, ideoque eundem « posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint sive in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum, tam pro vivis quam pro defunctis, auctoritate apostolica indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Christi et Sanctorum dispensare et per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse, ac propterea omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivalet, et ita ab omnibus teneri et praedicari debere ». Habes in his omnia elementa indulgentiarum superius enumerata. Singula enarremus.

II. Et sane indulgentia est remissio quaedam, quae poenitentibus datur: non vero remissio culpae vel venialis, quamvis hoc ultimum Paludanus censuisse videatur (cf. Bellarminum De Indulg. L. I. c. 7.). Tenenda est enim communis sententia, quae negat per indulgentiam culpas vel veniales remitti. Et quidem quod non sit solutio a culpa

mortali, evidens est; quia ea fieri nequit sine infusione gratiae sanctificantis, quod certe non fit per indulgentiae concessionem. Ad hoc enim ut quis alteri actu suo conferat gratiam, actio sacramentalis requiritur, quae non habet locum cum indulgentia datur. Neque indulgentia est remissio a culpa veniali; ad hanc namque remissionem extra Sacramentum obtinendam aliquis actus eius, qui peccavit, postulatur, qui actus sit vel formalis vel virtualis detestatio culpae: iam vero hic actus, qui a solo poenitente ponitur, non est indulgentia, quae ab altero confertur ei qui reus est; nec remissio culpae, quae sequitur hunc actum, est indulgentia, illa, inquam, indulgentia, de qua loquimur. Est scilicet indulgentia Dei, qui posita ea detestatione, immediate ex se solo culpam remittit; non vero est indulgentia, quam concedit Ecclesia. Quamvis vero in nonnullis veteribus formulis occurrant verba: *a culpa et a poena*, ea tamen deberi quibusdam praeteritorum seculorum quaestoribus affirmat Benedictus XIV. De Syn. Dioeces. L. XIII. c. 48. n. 7. Ita sane censuit Clemens V. qui quorundam quaestorum suae aetatis abusus recensens (Clementin. L. V. Tit. IX. c. 2.) his verbis eos redarguit: « aliqui ex ipsis eos (eleemosynas largientes) a poena et a culpa, ut eorum verbis utamur, absolvunt ». Verba igitur haec non sunt Ecclesiae concedentis indulgentias, sed imprudentium hominum credulitate fidelium abutentium. Sane Cardinalis Cusanus in Synodo provinciali Magdeburgi ab ipso celebrata dicebat: « Sedes Apostolica sub verbis *a poena et culpa* indulgentias nunquam dare consuevit ». Et Aegidius Carlerius in Syn. basileens. aiebat « non esse communem modum tradendi indulgentias per absolutionem *a poena et a culpa*: sed sub modo *remissionis omnium peccatorum*, h. e. omnium poenarum pro peccatis debitarum aut alicuius partis illarum ».

III. Neque indulgentia est remissio poenae alicuius subeundae, quam Ecclesia pro peccatis constituerit, ut solum ab hac obligatione erga Ecclesiam quis solvatur. Nam indulgentia datur et iis, qui nullam poenam huiusmodi debent; et cum a pluribus seculis canonum poenitentialium disciplina desierit, cuius proinde legibus fideles non tenentur, usus tamen viget indulgentiarum. Aliud vero est si dicas indulgentias substitutas esse illis poenis per canones statutis (qua de re postea): sicut enim per eas fiebat satis Deo et remissio poenae coram Deo obtinebatur: ita per indulgentiam remissio illius poenae coram Deo dicenda est concedi. Sane indulgentiam non esse relaxationem poenae canonicae tantum, quam Sacerdos vel poenitenti iniunxit vel iuxta canones iniungere debuisset, probat s. Thomas (Suppl. q. XXV. a. 1.) « primo quia est expresse contra privilegium

Petro datum, cui dictum est ut quod in terra remitteret, in caelo remitteretur. Unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et praeterea huiusmodi indulgentias Ecclesia faciens magis damnificaret quam adiuveret; quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentis iniunctis». Et re quidem vera quae foret necessitas thesauri meritorum Christi et Sanctorum ad dandas indulgentias, cuius thesauri ipse Thomas heic mentionem facit, et post eum disertissime et authentice Clemens VI, si solius poenae canonicae obligatio relaxanda esset, manente toto debito poenae coram Deo? Cf. propositionem pistoriensem inferius recitatam. Quid quod auctoritate Martini V iussi sunt omnes credere « quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias *in remissionem peccatorum* »? quae nulla profecto est nisi sit remissio reatus poenae coram Deo. Quocirca damnatus est art. 19 Lutheri: « Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent *ad remissionem poenae* pro peccatis actualibus *debitae apud divinam iustitiam* ». Ex quibus omnibus animadversionibus et ex eo quoque quod requiratur pro indulgentia acquirenda, poenitentia coram Deo, constat quod indulgentia sit remissio poenae debitae Deo. Nequit autem esse remissio poenae aeternae, quae nequit remitti nisi remissa culpa, atque vicissim haec remissa, nequit illa manere. Ergo tandem indulgentia est remissio poenae temporalis, cuius obligatio maneat deleta culpa.

IV. Deleta, inquam seu remissa culpa. Nam certum est manente reatu culpae non posse tolli reatum poenae illi respondentis; quod certum esse dicimus ex fide. De fide est enim culpam omnem mereri aliquam poenam, Deumque exigere pro quavis culpa aliquam satisfactionem: absurdum est igitur reatum culpae manere sine reatu poenae, ut proinde quis reus actu sit peccati coram Deo et tamen nullam poenam debeat. Cum ergo indulgentia Ecclesiae non auferat reatum culpae, ut probavimus, sed solum remittat poenam; ut haec remissio valeat, oportet prius culpam esse deletam poenitentia.

V. Iam vero si generatim loquamur, remissio debiti poenae potest non uno modo obtineri. Nam primo ipse poenitens potest actibus suis satisfactionem offerre Deo; et quia vi clavium in Sacramento Poenitentiae cum culpa etiam gradus aliquis poenae temporalis secundum dispositiones poenitentis remittitur, etiam sacramentaliter remissio aliqua poenae temporalis obtineri potest (Th. XXXVIII. XL.). Verum indulgentia, quae ab Ecclesia conceditur, non est talis remissio. Non est enim ea remissio, quam actibus nostris meremur: nam ad hanc obtinendam non opus habemus indulgentia Ecclesiae,

cum ea remissio merito nostrarum satisfactionum debeatur, nec sit proinde quid pro hac faciat Ecclesia. Neque indulgentia Ecclesiae est remissio sacramentalis. Nam sine actione ulla sacramentali, per modum legis, vigentis quoque post mortem concedentis, dantur indulgentiae, atque dantur ab eo quoque, qui Sacramentum poenitentiae administrare non valet, cuiusmodi foret diaconus electus in Pontificem, vel institutus in Episcopum, et e contrario nullum ius dandi indulgentias agnoscitur alicui competere ex eo tantum quod valeat Sacramentum Poenitentiae plenissime administrare. Est ergo indulgentia remissio poenae temporalis, quae alteri ab altero datur non vi Sacramenti poenitentiae nec actione sacramentali, idcirco extra Sacramentum.

VI. Remissionem vero poenae potest extra Sacramentum alteri obtinere duplici modo. Primo quidem quatenus iustus satisfactiones suas pro altero offerat Deo, vel Deum precibus flectat ut huic poena temporalis vel pars eius condonetur a Deo (Cf. Th. XXXIX). Etsi autem hoc pacto habeatur hic effectus quod alteri poena remittitur, non tamen habetur indulgentia, de qua loquimur. Nemo enim dicit iustum satisfaciendum vel orantem pro alio dare ei indulgentiam. Alter est ergo modus, quatenus scilicet actu quodam potestatis quis alterum liberet ab obligatione poenae, quemadmodum e. g. iudex auctoritative potest condonare poenam reo. Iam vero hic est modus, quo in Ecclesia fidelibus indulgentia conceditur: absolvit scilicet Ecclesia fideles ab obligatione poenae, certis positis conditionibus, potestate, quam credit sibi divinitus competere.

VII. Et sane concessionem indulgentiae esse absolutionem quamdam per modum sententiae indicat Alexander III (c. *Quod autem consuluisti*. De Poenit. et remiss.) docens neminem posse concedere indulgentias nisi propriis subditis, « cum a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolvi ». Patet idem praeterea ex discrimine quod statuitur inter indulgentias concessas vivis et concessas defunctis; nam iis, qui amplius haud sunt subditi Ecclesiae, conceduntur solum per modum suffragii.

Haec quidem absolutio non datur per modum particularis sententiae, quae cognitionem causae requirit, sed per modum sententiae generalis, ut valeat in iis omnibus, in quibus debitae conditiones reperiuntur. Et sane cognitio causae nec requiritur pro impositione poenae per sententiam generalem, ut liquet in censuris latae sententiae; multo ergo minus requiritur pro concedendo favore. Sed satis est quod hypothetice feratur sententia, valitura actu, si debitae adsint conditiones: Deus autem, qui ratam tandem habere debet eam remissionem, novit an exstet necne conditio.

Cum absolutio sit actus potestatis, oportuit hanc potestatem concedendi indulgentiam fieri Ecclesiae a Deo; nisi enim ipse concedat, quis poenam ipsi debitam propter offensam eidem factam remittere praesumat? Idcirco talem potestatem divinitus Ecclesiae traditam fatetur Trid. Synodus in Decreto de Indulgentiis.

VIII. At quaestio est an indulgentia sit tantum absolutio h. e. actus potestatis remittentis poenam, an sit quoque solutio, h. e. exhibitio Deo alicuius pretii seu satisfactionis loco illius satisfactionis, quam deberet ille, cui indulgentia datur. Esse quoque solutionem manifestum est. Nam auctoritas concedendi indulgentias supponit thesaurum meritorum Christi et sanctorum, qui fidelibus dispensatur, ex quo nimirum satisfactiones accipiuntur, quae offerantur Deo pro remissione poenae, quam fideles debent. Obtulit quidem Christus omnia sua merita pro nobis, sed eorum applicatio tum sacramentis tum aliis viis tum concessione indulgentiarum fit. Hic est conceptus indulgentiae constans in Ecclesia ut de thesauro meritorum Christi dispensetur indulgentia. Cuius rei ratio est quia ex lege Dei nulla remissio fit sine sufficienti satisfactione; quam ergo is non offert qui peccavit, ab altero offeratur oportet.

Existencia vero huius thesauri in Ecclesia est profecto credenda. Dudum damnata fuit propositio 17^a. Lutheri: *Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum*. Tum proscripta est propositio Pistoriensium 41. « Item in eo quod subditur: scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationem meritorum: quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, *falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata* ».

Quocirca actus potestatis concedentis indulgentiam in eo est ut, cum ei sit concredita dispensatio thesauri, applicet satisfactiones ibi contentas fidelibus, applicet vero non solum quatenus ex potestate administrativa thesauri eas offert Deo, ut fideles remissionem poenae consequantur, quod quidem Ecclesia et pro defunctis praestat, sed quatenus potestate, quam habet in subditos, ita eis Ecclesia remittit poenas, ut tamen simul pro eis offerat merita thesauri huius, sine quibus remissionem illam concedere non valeret. Ita dicendum esse arbitramur ut utraque ratio absolutionis et solutionis vera sit in indulgentia vivis concessa, et sic ea differat ab indulgentia pro defunctis. Quoad administrationem enim huius thesauri par est ratio in utraque indulgentia ut potestas eiusdem administrandi requiratur: neque enim simplex fidelis potest voluntate sua applicare indulgen-

tias defunctis, sed Ecclesiae concessio necessaria est; quia nempe illi soli concreditus est iste thesaurus. Discrimen igitur in eo est quod erga vivos iurisdictio quaedam exercetur, quae non exercetur erga defunctos, quod explicari quidem censemus eo modo, quo diximus, ut scilicet remittat Ecclesia ex potestate fidelibus poenam simul offerens Deo satisfactiones ex thesauro easque applicans fidelibus, sine qua oblatione et applicatione nulla foret remissio. Ita intelligimus doctrinam Thomae (in suppl. q. XXV. a. 1. ad 2^a.): « ille, qui indulgentiam suscipit, non absolvitur simpliciter a debito poenae, sed datur ei unde debitum solvat ». Quae sententia explicari potest verbis Aegidii Carlerii in Concilio basileensi (cf. Mansi. Tom. XXIX. col. 921.): « Indulgentia dicit relaxationem poenae debitae; sed quia oportet ut salvetur divina iustitia, et qui peccavit, quia debitor est, solvat aut alius satisfaciat pro eo, per indulgentiam poena peccatorum relaxatur ex hoc quod merita alterius isti applicentur ». Quemadmodum ergo actione sacramentali remittitur culpa ex potestate, sed vi meritorum Christi, quae applicantur poenitenti, ita in concessione indulgentiae remittitur ab Ecclesia poena temporalis ex potestate divinitus accepta in subditos exercenda, sed ope satisfactionum Christi, quae ab ipso concedente indulgentiam oblatae Deo applicantur fidelibus. Ceterum de thesauro rursus in §. 3^o redibit sermo.

IX. Integrum est ne igitur Ecclesiae potestate sua uti et remissionem a debito poenae concedere cui et quomodo velit? Profecto non, quemadmodum neque remissionem a culpa hoc pacto impertiri valet. Cum autem Ecclesia domina non sit, sed solum administratrix thesauri meritorum Christi, evidens est ei non licere pro lubitu illud dispensare, sed oportere causam praesto esse, quae Domino probari possit, ut rata ab ipso habeatur haec dispensatio. Requiritur scilicet aliqua causa finalis pia seu aliquod bonum, cuius consecutio, ratione habita divinae gloriae et eorum, quae a nobis Deus, secundum ordinariam providentiam, exigit, censeatur vel aequae vel magis accepta Deo quam personalis satisfactio, quam fideles exhibeant ipsi pro suis peccatis. Haec quidem causa potest esse quoque poenitentia aliqua seu satisfactio pro peccatis offerenda Deo, ad quam certis praescriptis operibus Ecclesia hortetur fideles promissa remissione ceterae poenae, quam suis operibus redimere non potuerunt: verum haec non est causa necessaria concedendae indulgentiae; etenim causae pietas, auctore s. Thoma (suppl. q. XXVI. a. 2.) comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Sane alia bona occurrere possunt, quae satisfactio per se non sint et ad divinam gloriam aequae aut magis conducant: cuiusmodi foret caritas in pauperes, erectio hospitalium vel Ecclesiarum, liberatio terrae sanctae, professio pu-

blica fidei actu speciali exhibita et huiusmodi. Sane plurium causarum Ecclesiam rationem habere in largiendis indulgentiis manifestum est ex ipsa praxi. Imo causa idonea largiendae indulgentiae est quoque remuneratio pro benefactis praeteritis meritisque erga Ecclesiam, idque frequentari advertit Lugus (de Poenit. disp. XXVII.)

X. Quod quidem facile intelligitur, si penitius quis scrutari velit naturam indulgentiae, seposito quodam praeiudicio, quo non paucorum mentes occupari videntur. Sunt enim qui censeant remissionem poenae, quam Ecclesia concedit, eam esse quae meritis respondet operum, quae fiant pro lucranda indulgentia. In quo conceptu si quid est veri, illud in eo tantum est, quod executio operum praescriptorum sunt conditio necessaria, qua te ad poenae remissionem obtinendam disponis, causaeque rationem habere possunt cur tibi remissio poenae concedatur. Ceterum remissio poenae, quam Ecclesia concedit, non ea est, quae respondet merito operum tuorum; nam ut iam monuisse me memini, eam tute tibi ipse acquiris, nec opus habes ut eam ab Ecclesia obtineas, quae idcirco neque eam tibi dare potest; nam nequit concedi alicui remissio poenae, quam ipse non debet. Remissio scilicet poenae per indulgentiam effectus est actus potestatis Ecclesiae absolventis a reatu poenae cum dispensatione thesauri talisque actus vi sua est efficax; quocirca ex opere operato confertur per indulgentiam Ecclesiae remissio poenae. Non ergo pro concessione indulgentiae exigenda est satisfactio a fidelibus pro ea poena quae remittitur. Tenenda est scilicet doctrina s. Thomae (l.c.) quod « causa remissionis effectiva non est vel devotio vel labor aut datum recipientis indulgentiam aut causa pro qua datur indulgentia », sed auctoritas dispensantis thesaurum. Restat proinde ut debeat causa aliqua pia existere, propter quam Ecclesia valeat hanc exercere potestatem: quae quidem causa multiplex esse potest atque potest esse quoque satisfactio quaedam offerenda Deo ita ut reliquum poenae, pro quo non satisfacis, remittatur ab Ecclesia; quae idcirco hoc beneficio te alliciat ad praestandum opus illud satisfactionis, quod Deo gratum est: sed non est haec unica causa pia, propter quam dispensari thesaurus Ecclesiae potest, quia non est illud unicum opus Deo gratum Deique honorem promovens et gloriam animarumque salutem.

XI. Ex declaratione hactenus tradita indulgentiae patet quodnam sit subiectum capax eiusdem. Oportet nimirum primum qui indulgentiam lucraturus est, esse Ecclesiae membrum, ut non solum baptizatus sit, sed actu pertineat ad unitatem Ecclesiae. Baptismum requiri patet; quia potestas ecclesiastica ligandi et solvendi non exer-

etur nisi in subditos: oportere autem esse actu Ecclesiae membrum rursus patet, quia indulgentiarum beneficium spectat ad communionem sanctorum, cuius participes non sunt qui sive per apostasiam sive per excommunicationem sunt avulsi ab Ecclesia. Requiritur deinde theologi statum gratiae. Nonnulli quidem theologi aliter censuerunt quod spectat ad remissionem poenae debitae mortalibus iam remissis, cum non videatur repugnare quod Deus conferat hoc beneficium etiam peccatoribus, quibus alia potiora, ut sunt gratiae actuales, concedit. Communior est tamen Theologorum sententia statum gratiae pro obtinenda indulgentia exigi: hisque argumentis ducuntur primo quod Ecclesia affirmat indulgentias ex thesauro concedi poenitentibus, contritis aut confessis: verum in concessione indulgentiarum partialium haec conditio non solet opponi: iure vero apponitur indulgentiis plenariis, quas repugnat reum mortalis peccati obtinere. Deinde advertunt reum peccati mortalis et inimicum Dei dignum haud esse ut aliqua poena ei remittatur, qui aeternam e contrario debet. Sed quia temporalis poena debita peccatis iam remissis distingui potest a poena aeterna debita novo peccato, sicut diversus est titulus debiti, et in indulgentia non agitur de remissione, quam quis per actus suos mereatur, sed quae ei propter aliquam piam causam concedatur ab alio, et quia per se (quod probabilius saltem censemus cf. dicta cap. 111. p. 199.) posset patiente peccatore desinere debitum prius, manente altero, nondum mihi evidens est non posse per indulgentiam condonari peccatori poenam temporalem debitam peccato alteri iam remisso, cum praesertim opera requisita pro obtinenda indulgentia valeant etiam facta in statu peccati. Postulatur quidem ut in fine operum, quando effectus indulgentiae applicandus est, sit status gratiae, sed hoc ideo quia pro obtinenda indulgentia gratia requiritur, quod certe valet in plenaria indulgentia: at an idem valeat in partiali, id est de quo dubitamus. Ceterum tutius putamus sequi sententiam communiorem.

Quoad hanc conditionem quae requiritur ut saltem in fine operis praescripti habeatur status gratiae, monet Lugus (l. c. n. 84.) quod per se « certum videtur quod Pontifex potest differre effectum indulgentiae usque ad primam iustificationem sequentem. An vero de facto talem intentionem habeat, verius videtur, nisi explicet in ipsa indulgentia, mentem Pontificis non esse, differre ».

XII. Quaeritur an intentio lucrandi indulgentiam sit necessaria. Fatetur idem Lugus (ibid. n. 84.) se non invenire rationem convincentem ad dicendum quod necesse sit scire vel intendere lucrari indulgentiam. Nam quemadmodum fructus suffragiorum, quae alter mihi applicat, sive sint ex opere operantis, sive ex opere operato, ut in Missa

mihi ignoranti etiam et non intendenti applicantur, ita et remissio poenae facta voluntate Ecclesiae, dummodo conditioni factum sit satis, quam ipsa requirit, applicabitur. Et sane indulgentia non est ex iis privilegiis, quae executioni mandentur ab ipso privilegiato, sed erga eas fidelis, completa conditione, passive se habet, eo qui indulgentiam concedit, pretium solvente Deo et absolvente fidelem. Sane res ita se habet cum Rom. Pontif. indulgentiam moribundo concedit iam sensibus destituto. Verum cum indulgentia datur hunc in finem specialiter ut fidelium devotio, pietas et caritas excitetur, non liquet quomodo in seipsum eam possint obtinere.

XIII. Ex hactenus declaratis censemus conceptum hauriri posse indulgentiae pro vivis (nam de indulgentia pro defunctis postea loquimur), cuius usus a tot seculis viget in Ecclesia. Ipsam idcirco definire licet ut sit: *Remissio poenae temporalis debitae Deo, quam Ecclesia ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum subditis suis concedit extra sacramentum per potestatem solvendi sibi divinitus factam*. Huc redit definitio, quam prae aliis paululum obscurioribus probat Albertus M. in IV. D. XX. a. 16. inquit: *indulgentia est remissio poenae iniunctae ex vi clavium et thesauro supererogationis perfectorum procedens*: cui consentit Alexander Alensis in Summae p. IV. q. 23. Cf. Suarez de Poenit. D. XLIX. Lugum de Poenit. D. XXVII. Bellarminum de Indulgentiis l. I. Hurter de Indulgentiis l. c.

§. II.

De usu antiquo Indulgentiarum.

I. Cum quaeritur an usus concedendi indulgentias sit antiquus in Ecclesia, videndum est accurate quid quaeratur. Non est enim quaestio de modo accidentali, qui varius esse potest secundum diversas aetates, sed de ipsa essentia seu substantia rei. Porro essentia rei est in hoc quod indulgentia sit remissio poenae temporalis Deo debitae facta iusto extra sacramentum auctoritate Ecclesiae ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum. Liqueat id ex conceptu eiusdem superius explicato. Si ergo talis remissionis usus antiquus est, indulgentiarum usus antiquus est in Ecclesia.

Adverte tamen quod etsi non probaretur antiquitas huius usus, imo si probaretur eiusdem novitas, nullum tamen verum praeiudicium crearetur contra auctoritatem insitam ab initio Ecclesiae concedendi indulgentias. Nam non est opus ut cum potestate existat simul exercitium eius, tum si rei naturam per se spectes tum

specialim si huiusmodi exercitium non est necessarium societati sed solum utile, ita ut ex certis rerum et personarum adiunctis definire oporteat an expediat nec ne huiusmodi exercitium. Id videre est in usu aliorum quoque iurium Ecclesiae, idemque valet in usu potestatis concedendi indulgentias, qui usus utilis quidem est et salutaris (Conc. Trid. sess. XXV.), sed non necessarius ut Ecclesia sit populusque fidelis rite gubernetur. Nam remissionem poenae temporalis aliis etiam viis obtinere licet, fierique potest quod identidem conducat permittere ut suis ipsi satisfactionibus solis fideles nitantur eam sibi comparare.

II. Ut igitur ostendamus historice antiquitatem indulgentiarum, placet primum afferre eam indulgentiam, cuius historicam veritatem quidam negarunt, quidam modestiores in dubium vocarunt. Ea est indulgentia stationum Romae, quam concessisse ferunt Gregorium M. qui certe stationes in Urbe ordinavit. Eam refert s. Thomas in IV. d. XX. q. 1. a. 3. ql. 2. et ante eum Gulielmus Altisiodorensis in Summa l. IV. Tract. 6. c. 6. Clamat Morinus (de Administ. Sacramenti Poenit. L. X. c. 20. n. 10) testibus adeo aetate dissitis, qui critica non adeo valebant, credendum haud esse, cum nihil de hac re in tot epistolis et sermonibus Gregorii appareat. Verum arbitramur tot coniecturas praesto esse ut id verisimillimum sit quod sec. XIII scholastici affirmabant. Quas coniecturas, cum et ipsae per se solae argumentum praebent usus indulgentiarum, quem quaerimus, non supersedebimus afferre.

III. Sane primo recolendum est huius indulgentiae a Gregorio M. concessae mentionem quoque facere Bonifacium VIII, qui ita ad testimonium provocat antiquitatis, ut non directe de ipsa re dubitet, et is argumento etiam saltem probabili innitatur, quo facti antiquitas ostendatur. Sic enim loquitur in Bulla *Sublimi*. « Sollicita meditatione discutimus qualiter b. Gregorius pluribus Urbis Ecclesiis primo, *prout tradit antiquitas*, et alii postmodum Romani Pontifices praedecessores nostri diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt ». Ubi vides id, quod antiquorum testimonio probatur, non esse proprie hoc quod scilicet Gregorius stationarias indulgentias concesserit, sed quod *primus* fuerit in iis concedendis, qua in re si adversarii dicant falsos esse antiquos quatenus alii ante Gregorium idem concesserint, haud aegre feremus. Praeterea hoc antiquitatis testimonium confirmat Bonifacius praxi subsequentium Pontificum praedecessorum suorum, quos affirmare omnes post Thomam exstitisse non solum foret divinatio quaedam, sed adversaretur etiam iis, quae ex certis testimoniis mox afferemus. Nunc advertimus quod indulgentiae Gregorio tributae partiales erant, quoniam